

Latin Examination: FALL 2012

This language examination consists of three passages. Because the purpose of this examination is to assess how well you understand the Latin language, accuracy is more important than speed. An excellent translation of one passage, or a decent translation of two passages, will receive a passing grade. You may use a paper dictionary.

I. Vulgate Bible, *Sapientiae*

1 Melior est sapientia quam vires,
et vir prudens quam fortis.

2 Audite ergo, reges, et intelligite ;
discite, iudices finium terræ.

3 Præbete aures, vos qui continetis multitudines,
et placetis vobis in turbis nationum.

4 Quoniam data est a Domino potestas vobis,
et virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.

5 Quoniam cum essetis ministri regni illius,
non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ,
neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

6 Horrende et cito apparebit vobis,
quoniam iudicium durissimum his qui præsumunt fiet.

7 Exiguo enim conceditur misericordia;
potentes autem potenter tormenta patientur.

8 Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus,
nec verebitur magnitudinem ejus cuiusquam,
quoniam pusillum et magnum ipse fecit,
et æqualiter cura est illi de omnibus.

9 Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10 Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei:
ut discatis sapientiam, et non excidatis.

11 Qui enim custodierint iusta iuste, justificabuntur;
et qui didicerint ista, invenient quid respondeant.

12 Concupiscite ergo sermones meos ;
diligite illos, et habebitis disciplinam.

13 Clara est, et quæ numquam marcescit, sapientia :
et facile videtur ab his qui diligunt eam,
et invenitur ab his qui quærunt illam.

II. Seneca, *De ira*

1. Exegisti a me. Novate, ut scriberem quemadmodum posset ira leniri, nec immerito mihi videris hunc praecipue affectum pertimuisse maxime ex omnibus taetrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique inest, hic totus concitatus et in impetu doloris est, armorum sanguinis suppliciorum minime humana furens cupiditate, dum alteri noceat sui neglegens, in ipsa irruens tela et ultionis secum ultoremtracturae avidus. [2] Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam; aequae enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod coepit pertinax et intenta, rationi consiliisque praeclosa, vanis agitata causis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id quod oppressere franguntur. [3] Ut scias autem non esse sanos quos ira possedit, ipsum illorum habitum intueri; nam ut furentium certa indicia sunt audax et minax [p. 108] vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: [4] flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine, labra quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac surriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus et conplosae saepius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus" magnasque irae minas agens," foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium [5] — nescias utrum magis detestabile vitium sit an deforme.

III. Andreas Capellanus, *De amore*

[14] Sed alia quoque ratione amor fugiendus videtur. Qui amat enim vehementi quadam servitute ligatur et quasi omnia suo nocitura timet amori, et eius animus pro modica vehementer suspicione gravatur, et cor suum interius graviter iaculatur. Omnem namque extraneorum colloctionem vel deambulationem aut insolitam commorationem amans in coamante ex amoris zelo timescit, quia 'Res est solliciti plena timoris amor'. [15] Nil enim facere vel cogitare audet quod modice voluntati adversetur amantis, quia semper timet amans ne sui voluntas atque fides alteretur amantis, et hanc cogitationem amanti non potest vigilia neque somnus auferre. Quem enim vere gladius pertingit amoris, de coamantis cogitatione continua sine intermissione quassatur nullisque divitiis nullove in hoc saeculo tantum posset honore beari vel aliqua dignitate, quantum si iuxta proprii animi voluntatem suo recte fruatur amore. [16] Nam etsi mundum universum lucretur amator, sui autem amoris detrimentum vel aliquod patiatur adversum, omnia tamen pro summa reputaret inopia, nihilque sibi credit [ad] egestatem posse nocere, donec suae voluntati bene concordaverit amor, omniaque timet amans agere vel narrare, unde quacunque ratione coamantis animus concitari posset ad iram vel qualibet occasione moveri.